



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

LXVI. Erzbischof Erich von Magdeburg verlegt den Kirchweihtag der  
Kabelle zu Hildsgesburg, am 30. Mai 1293.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

**LXV. Die Markgrafen Otto und Konrad bestätigen die Stiftung des Altars des Beichtigers  
Maternus im Dome, am 1. Nov. 1292.**

In nomine domini amen. Nos Otto et Conradus dei gratia brandeburgenses et de Landberch marchiones, — ob reuerentiam ihesu christi et sue matris Virginis gloriose et ad ampliandum cultum diuinum, ad altare sancti Materni confessoris atque pontificis, in ecclesia sancti Nicolai Stendale construendum, donauimus proprietatem duodecim mansorum et quorundam agrorum, qui vocantur grevenmarke et duodecim Cottatorum et duarum arearum, octo solidos denariorum soluentium, Et trium mansorum, quos tenet villicus, et duorum mansorum plebano attinentium, In villa Dufedowe, proprietatis tytulo perpetuis temporibus possidendam. Abrenunciantes vniuerso iuri, quod nos in ipis bonis possedimus et eorum proprietati, neque aliquid iuris decetero nobis bonis vendicabimus in eisdem. Quod quidem altare secundum quod deus nobis inspirauerit, cum vacare contigerit, conferimus honesto Sacerdoti vel tali persone, que infra presentem annum poterit et debet in ordinem sacerdotii promoveri. Qui Sacerdos obedientiam Decano faciet et obligabitur ad Missam vnā ad idem altare, diebus singulis celebrandam, et ad omnia iura chori sicut canonicus se habebit, Dormiet in dormitorio canonicorum et religione vtetur eorum et omnibus iuribus et privilegiis tam in morte quam in vita perfruetur eorumdem. In huius rei euidentiam presentem litteram conscribi iussimus et sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri. Testes huius rei sunt dominus hinricus de Wardenberge, Dominus Conradus de Raedere, Dominus Burchardus niger de Irkefleue, Dominus Hermannus de Gardeleue, milites, nec non dominus Alwardus prepositus Ruppiniensis, Dominus Conradus de Wardenberge, Hinricus de Hertbeke clerici et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec et data Magdeburgh, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXII<sup>o</sup>, per manum domini Zacharie, nostre curie notarii et cappellani, kalendis Novembris.

**LXVI. Erzbischof Erich von Magdeburg verlegt den Kirchweihstag der Kapelle zu Hildagesburg,  
am 30. Mai 1293.**

Ericus, dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Omnibus Christi fidelibus has litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Pateat — quod cum honorabilis vir Conradus decanus Stendalensis nobis humiliter supplicasset, ut sollempnitatem dedicationis capelle in Hildingeburch, in honore sancti Nicolai constructe, hactenus in dominica qua cantatur iubilate observatam et propter alias dedicationes eadem dominica occurrentes multipliciter impeditam, anticipare curaremus in dominicam, qua cantatur misericordia domini, celebrandam; Nos devotis ipsius precibus inclinati, sollempnitatem huiusmodi dedicationis presentibus anticipamus volentes et nichilominus indulgentes, ut dedicatio predictae capelle in dominica, qua cantatur misericordia domini, annis singulis peragatur. In chius rei testimonium presens scriptum duximus sigillandum. Datum Magdeburgh anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XCIII<sup>o</sup>, III<sup>o</sup> kal. iunii, pontificatus nostri anno decimo.